

Bouillaud, J.. - Dantur-ne in morbis,
evidentes liquidorum corporis
viventis depravationes, et quae
sensibus aut chemicis experimentis
deprehendi queant ? Numquid inter
illas aliqua pro primigeniis habendae
?

1824.

**[s. l.] : Lutetiae Parisiorum, è
typis Migneret**

Cote : 90975

COOPTATIONIS PETENDÆ CAUSA INTER SALUBERRIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ PARISIENSIS AGGREGATOS ,

CONCERTATIO

JUSSU REGIS OPTIMI SANCITA, ET EX MANDATO SUMMI
REGIÆ UNIVERSITATIS MODERATORIS INSTITUTA ,
ANNO M. DCCCXXIII.

DE HAC QUÆSTIONE :

*DANTUR-NE IN MORBIS, EVIDENTES LIQUIDORUM CORPORIS VIVEN-
TIS DEPRAVATIONES, ET QUÆ SENSIBUS AUT CHEMICIS EXPE-
RIMENTIS DEPREHENDI QUEANT? NUMQUID INTER ILLAS
ALIQUÆ PRO PRIMIGENIIS HABENDÆ?*

DISSERTATIO

*Quam, Deo duce, competitorum disputationi objiciet, et palàm
propugnare conabitur, in aulâ majore saluberrimæ Facultatis ,*

Die sextâ et vigesimâ mensis Aprilis, anno 1824, ab horâ 1.^a pomeridiana
usquè ad tertiam;

J. BOUILLAUD,

Facultatis Parisiensis Medicinæ-Doctor, ex-internus Hospitiorum civilium urbis Parisiorum.

*Une théorie exclusive de solidisme ou d'humorisme ,
est un contre-sens pathologique.*

BICHAT, *Anat. génér.*

LUTETIÆ PARISIORUM, È TYPIS MIGNERET ,
VIA VULGÒ DU DRAGON.

M. DCCC XXIV.

0 1 2 3 4 5 (cm)



PRÆSES. D. DELENS.

LAENNEC.

BÉCLARD.

ORFILA.

ROUX.

CLARION.

PELLETAN.

GUILBERT.

JADELOT.

LERMINIER.

HARVERS.

JUDICES. DD.

VICEM-GERENTES. DD.

COMPÉTITORES.

DD. DEVERGIE.

DD. BOUILLAUD.

GERDY.

BOUVIER.

DOCTRINAM humoralium morborum plenius medici per longa
secula amplexi sunt; virique celeberrimi inter hujus doctrinæ
seculos primi sese obtulerunt. Divus Hippocrates medicinæ pa-
triarum, doctrinæ præceptor, præstatat huiusmodi doctrinæ per
egrotare hominem et sanum esse. Hippocratis theoriam servavit
atque amplificavit Galenus qui nomen suum sectæ humoralis
imposuit. Galenæ sectæ sunt Arabes et universa medicorum
schola, ita ut fundamentum quasi totius artis medicæ constitu-
it. Detrahit hæc humorum; ita ut pro sanguine, pituita, bilis
aut atrabilis elementis et depravatione, diversa temperaments
morbores ita omnes generari crederent.
Alexander Trallianus, Serapion, Rhazes, Sydenhamus,
et alii. Boerhaavius, Boerhaavius, Gauricus, Sauvagesius, Hux-
hamus, Boerhaavius magister adoptaverunt, illustra-

ERRATA

Pag. 5, lin. 1. a, not. que, leg. que.

Pag. 13, lig. 23, enitur, leg. enititur.

QUESTIO

DANTUR-NE IN MORBIS, EVIDENTES LIQUIDORUM CORPORIS VIVENTIS
DEPRAVATIONES, ET QUÆ SENSIBUS AUT CHEMICIS EXPERIMENTIS
DEPREHENDI QUEANT? NUMQUID INTER ILLAS ALIQUÆ PRO PRIMIGENIIS
HABENDÆ?

PROÆMIUM.

DOCTRINAM humoralium morborum plerique medici per longa
sæcula amplexi sunt; virique celeberrimi inter hujus doctrinæ
æmulos primi sese obtulerunt. Divus Hippocrates medicinæ pa-
rens, constanter quatuor memorat humores, dicitque per hos
ægrotare hominem et sanum esse. Hippocratis theoriam servavit
atque amplificavit Galenus qui nomen suum sectæ humoristicæ
imposuit. Galenum secuti sunt Arabes et universa medicorum
schola, ita ut fundamentum quasi totius artis medicæ constitue-
rit *tetractys* hæc humorum; ita ut pro sanguinis, pituitæ, bilis
aut atrabilis eminentiâ et depravatione, diversa temperamenta ac
morbos ferè omnes generari crediderint.

Alexander Trallianus, Fernelius, Ballonius, Sydenhamius,
Frid. Hoffmannius, Boerrhaavius, Gaubius, Sauvagesius, Hux-
hamius, humorismum magis minusve adoptaverunt, illustrem-
que fecerunt. Hæc doctrina, cum longissimum per temporis in-
tervallum, verissima quasi religioso cultu habita fuerit, tandem
à sectâ solidistarum omnino repudiata est. Scilicet nihil est pro-

clivius hominibus, quàm, ut, ab extremo aliquo errore refugiant, in alterum extremum currere. Meâ quidem sententiâ, veteres nec non recentiores æquè erraverunt, alii morborum causas in humorum vitiis plus æquo ponentes; alii solidis partibus nimium concedentes. Itaque sapientissimi ætatis nostræ medici, nulli magistro, nisi veritati et naturæ, inservientes, liquida et corporis solida morbis æquè obnoxia agnoscunt. Quidam systematici tantum depravationes humorum obstinatè negant, diùque negabunt siquidem novissimè existentiam ipsius virus syphilitici negare ausi sunt.

Quantæ et quàm multæ sint quæstionis mihi propositæ difficultates haud ignorare possum. Materiam cui hucusque lux observationis parùm præfulsit tractaturus, indulgentiam imploro meque tanto labori imparem confiteor. At saltem in medio sincerus afferam quæ paucula legi, quæ paucula vidi, et quæ in lectionibus tantorum et tam venerandorum magistrorum discere mihi datum est. Faxit divinum Numen ut veritatem assequi queam!

QUÆSTIONIS PRIMA PARS.

DANTUR-NE IN MORBIS, EVIDENTES LIQUIDORUM CORPORIS VIVENTIS
DEPRAVATIONES, ET QUÆ SENSIBUS AUT CHEMICIS EXPERIMENTIS
DEPREHENDI QUEANT?

Ad hanc questionem maximi momenti solvendam, facta, observationemque consulamus. Theoria, reverà, nec non medicorum celeberrimorum auctoritas hanc solutionem nobis præbere possent. Observationes verò, verbis et opinione potentiores, sunt instar lapidis Lydii, quo theoriæ medicæ examinari debent. Quare, ut inquit, Frid. Hoffmannius, priusquàm quis incipiat theoriam condere, probè perspectum habere oportet, nùm omnium phænomenorum in historiis morborum occurrentium explicationi illa respondeat. Si res secùs se habet, de ejus veritate omninò dubitandum est.

Ut quendam ordinem in investigationibus quas aggressurus sum asseram, primùm liquidorum compositioni inservientium, deindè liquidorum decompositioni inservientium seu potius è sanguine derivantium depravationes, exponam : quæ ad proprietates phisicas, chemicas et vitales horum liquidorum spectant. Cum autem pleræque harum proprietatum hucùsque physiologorum laboribus et experimentis agnosci non potuerunt ; non mirandum erit plurimas depravationes liquidorum corporis viventis medicorum observationem penitùs fugere. Sic, v. g., depravationes proprietatum vitalium liquidorum prorsùs latent. Suspicionem, non autem observationem attingi possunt (1).

(1) Circà anatom. et composit. sanguin. vid. opera Cl. Beclard, Prevost, Dumas, Chevreul, Orfila, etc.

§. I.
Liquidorum compositioni corporis inservientium depravationes.

1.° *Depravationes sanguinis in morbis.* In febribus essentialibus alterationes insignes offert. In cadavere hominis febre acuta defuncti, nihil usquam vitii Valsalva invenit, nisi quod sanguis ferme naturalem fluorem servabat. Quod non mirandum, inquit Morgagnius, quoniam cum sanguinis dissolutione malignas febres bene multas conjungi, medici præstantissimi docuere. Morgagnius ipse, in febre maligna, vidit sanguinem *aquo fluidiorem, molliori crassamento* quod circumfusum erat sero, quasi à *commisto chilo albescente*. Secundum eundem illustrissimum observatorem, in febribus quasi pestilentibus et petechialibus quæ passim, anno 1731, in Agro Patavino sæviebant, sanguis ut plurimum *nimis solutus* apparebat. Hoc quoque phænomenon adnotarunt Lancisius et Senac. Huxhamius, in febribus malignis, sanguinis dissolutionem, lividitatem, putrescentiam observavit. Secundum Vander-Mye, Morton, sanguis è venis illorum qui febre putrida et petechiali laborant missus, absque consistentia sese exhibet, moxque putrescit. Quis nostrum hanc sanguinis depravationem non perspicuam habuit in secandis cadaveribus subjectorum à febribus gravibus defunctorum? Si è venis horum subjectorum, in decursu morbi, sanguis missus fuerit, coagulum, lividum, deliquescens, diffluens, minimâ pressione attritu facillimum apparet. Quædam venena, instar *virus febrilis*, sanguinis dissolutionem producant.

In febribus eruptivis quales sunt variolæ, morbilli, scarlatina, etc., depravatione quâdam evidente, sed sensus et experimenta chemica effugiente, sanguis afficitur. Attamen ubi hi morbi indolem malignam induunt, sanguis easdem alterationes excipit quas in febribus putridis adnotavimus. Quod videre est in opere Huxhamii de febribus.

Hic mihi referre liceat observationes Duhamel et D. Gendrin.

Bos cursu nimio fatigatus interficitur. Lanius postquam in os suum introduxisset cultrum quo animal occisum fuerat, gravissimis symptomatibus corripitur, quartamque post diem, gangræna generali affectus, è medio tollitur. Vir quidam, cum osse ejusdem bovis sibi vulnus inflexit : membrum vulneratum tumore livido, sphacelo corripitur, morsque septimam post diem evenit (1).

Sanguinis hominis febre putridâ laborantis telæ cellulari felis uncia applicata fuit : ejusdem sanguinis semi-uncia in venam cruralem canis injecta fuit. Utrumque animal, symptomatibus febris putridæ laceratum, septimâ horâ post operationem occubuit. Sanguis ater et liquidus in omnibus vasis, in arteriis ipsis, inventus est. Citissimè in putrefactionem abiit (2).

In febribus inflammatoriis, biliosis, mucosis sanguis offert evidentes depravationes quas diligenter exposuit doctor Gendrin in opere suo de naturâ Februm. Hic tantum dicam illum bilem invenisse in sanguine subjectorum febre biliosâ laborantium, depravationem quam præsenſerant permulti medici inter-quos adnumerandi sunt Stoll et Pujol etc.

In febribus hecticis cachexiam purulentam comitantibus, ut fit apud phthisicos, apud illos qui ingenti abscessu seu exteriore, seu interiore afficiuntur, præsentia puris absorpti sanguis depravatur. Serum hujus sanguinis, secundum doctor. Pujol, abundans est, mixtureque particularum albidarum, heterogenearum, purulentarum turbatum. Doctor Velpeau pus verum in venis reperiit. Ego quoque in venis materiam purulentam observavi : simul, et non semel, membranam internam vasorum sanguiferorum rubram vidi. Nec mihi absurdum videtur habere hanc depravationem sanguinis pro febris hecticæ causâ. Hanc febrem irritationis prolem volunt medici physiologici. Quod si verum esset, cur febris

(1) *Mém. de l'Acad. des Sciences, an 1776.*

(2) *Gendrin, Rech. sur la Nat. des fièvres, 1823.*

oriretur tantummodo cum texta accidentalia emolliri cæperunt ?

In affectionibus herpeticis, canerosis, depravatio sanguinis negari non potest, etiamsi hujus alterationis natura planè nostram observationem subterfugiat. Hæc depravatio multò evidentior esset, si, ut dicunt, principia textorum accidentalium in massâ sanguinis, experimentis chemicis, perspicua Cl. Chevreul fecisset.

In phlegmasiis profectò sanguis a sanguine plane sano discrepat; calidior factus est, cuticulæque magis minusve spissâ obducitur, quam coagulatione serositatis sanguinis productam Huxhamius autumat. Hæc pellicula sæpiùs aspectum materiæ pseudomembranarum refert. An gelatinosa, albuminosa aut fibrinosa sit inter chemicos certatum est. Ex sententiâ Cl. Berzelii, omnia coaguli principia continere potest.

D. Traill, anno proximè elapso, in sanguine hominum phlegmasiâ interiore laborantium quandam olei quantitatem chemicè demonstravit (1).

In scorbuto sanguis liquidus, mollior, solutus, sicut et in febribus putridis apparet.

In virginibus chloroticis, sanguis aquosus, pauperior, tenuis, vix linteum inficit. In plethoricis contrâ, crassitudine, rubore, multâ fibrinâ pollet.

Diabeticorum sanguis parùm animalisatus, parvulam fibrinâ, majorem quantitatem seri habet: in sero principium saccharatum inventum. Copia hujus principii minor est, secundum D. Wollaston, quàm crediderant DD. Nicolas et Gueudeville.

In sanguine ictericorum bilem aut ejus materiam resinosa reperit prof. Orfila. In sanguine retentione urinæ laborantium

Olei.	4,5.
Aquæ.	78,9.
Album.	15,7.
Salium.	0,9.
(1) 100 P. seri continebant.	100,0.

urina adest. Morgagnius, Borellius, Spigelius sanguinem frigidum et quasi gelidum in quibusdam ægrotis invenerunt. Forsan hæc observata confirmationem novam desiderant.

Sanguis concretus plurimis auctoribus inventus est (Laennec, Béclard, Breschet, Meckel, Hodgson, etc.) Ex sententiâ prof. Laennec hæc concretio sanguinis spontanea esse potest. « Nihil probabilius est, inquit, etiam à priori, quàm possibilitas coagulationis sanguinis in ipso corde, præsertim in extremis vitæ, cum circulatio impedita irregularem et imperfectum in modum se exercet. » Hæc coagulatio hæud rarò evenit in morbis cordis, majorumque vasorum. Quapropter in ultimis ægrorum vitæ diebus, sanguis crassus, ater, vix è venis apertis emitti potest, ut quisque observare potuit.

Aliud genus depravationis sanguinis habemus in variis intoxicationibus. Hic depravatio profectò evidens est, quamvis et sensus et experimenta chemica sæpius effugiat. Pro veneno in corporis intima deducto varia esse debet. Sunt medici qui cum Meadio credunt venena aggredi nervos. Sed hanc opinionem amplecti recentes investigationes de absorptione non sinunt. Illam secutus est Meadius, cum attendisset celeritatem illam mirificam quâ viperæ caudisonæ morsus canem occidit, non integro videlicet minuti temporis quadrante, cumque expertus fuisset sanguinem cui viperæ venenum adjunctum erat, nullo modo, internosci posse a sanguine cui nihil fuerat additum. Quæ cum ita sint fatendum est cum Cl. Parmentier et Deyeux, sanguini fieri posse alterationes chemico insensibiles, sed illorum vi in æconomiam viventem, heu! nimis evidentes (1).

(1) Que pauca scripsit de alterationibus sanguinis prof. Beclard, hic referre hæud alienum erit : « In inflammationibus, coagulum sanguinis albâ obducitur pelliculâ quæ fibrinosa est ; magnaque in coagulo materiæ colorantis liberæ quantitas reperitur. Aliis in morbis, v. g., in scorbuto et affectionibus septicis, sanguis fluidus est, suamque amisit coagulabilitatem.

2.^o *Depravationes chили et lymphæ.* De his parum notis pauca dicam. Quam multæ esse debent chили depravationes facîle conjicere possumus, si animadvertamus hujus humoris compositionem variam pro varia compositione ingestorum esse. In strumis et rachitismo, lymphæ, inquit Pujol, viscosa, lenta et pituitosa est. Secundum auctores, virus venereum in lympham præcipuè sævit.

§. II.

Liquidorum secretorum depravationes.

Ad hoc genus liquidorum pertinent materia nutritiva ipsa quam in cunctis organis sanguis deponit, cujusque alterationes concipi non autem observari possunt; adeps, serositas, synovia, humores perspiratorii, humores folliculares et glandulares. Sanguinis depravationum depravatio humorum secretorum comes individuus est. Præcipuas præcipuorum horum liquidorum depravationes solummodò exponere conabor.

1.^o *Urinæ depravationes.* — Nullus est morbus paululùm gravis qui urinæ phisicis et chemicis proprietatibus insignes non afferat depravationes. Nec solum, ut omnes sciunt, urinarum natura morbis pro variis varia est, sed etiam pro illorum periodis.

Urinam atram in muliere melancholicâ Galenus observavit. Huxhamius in febribus malignis urinas vidit fætentes et atras cum sedimento cujus color colori cafæi moliti proximus erat. Urinas cæruleas observârunt antiqui illasque sub nomine urinarum *indicarum*, *irrinearum* designârunt. D. Julia recenter in urinis hoc eolore distinctis hydrocyanatem ferri demonstravit.

Joubertus, Gradius, Morgagnius, etc., febricitantibus non paucis, copiosè arenulas cum urinâ mingi viderunt.

Permuli, adsunt morbi quibus attenta sanguinis exploratio majorem lucem afferret. • (*Elem. Anat. gener.*, p. 90.)

In rachitismo multum phosphatē calcareā urinae continent. In arthritide minorem acidī phosphoricī copiam habent, nisi intra paroxysmos (DD. Jacquin, Chaptal, Fourcroy, Berthollet).

Ictericorum urinae secundum prof. Clarion et Orfila, bilem aut materiā resinosa viridem bilis continent (*Jour. de Méd., Chir. et Pharm. Elém. de Chim. Méd.*)

In diabete urina copiosissima principio saccharato abundat (Nicolas et Gueudeville, Thénard et Dupuytren).

Urina juvenis peritonitide acutissimā vexati, analysi chemicæ subducta a doctore Nysten plus æquo uræam continebat, maguamque quantitatem materiæ albuminosæ quam in statu naturali urina non excipit. Tincturam heliotropii rubram faciebat.

Urina in febribus putridis, urinae putrescenti similis est, sirupum è violis conditum viridem facit, ammoniacumque continet (prof. Orfila).

Multis in casibus partes cristallisabiles urinae in calculos agglomerantur, seu abundantiores sint, seu deficiat liquidum in quo dissolutæ tenentur.

Alias urinae depravationes tacere mihi liceat. Sed antequam finem faciam, Frid. Hoffmannii opinionem proferre utile mihi visum est. « Urinae inspectio valdè medico necessaria et insignissimi in praxi medicæ usus est. Quemadmodum empiricam illam ac divinatricem artem imperitorum ex urina judicandi et specialissima præsagiendi in totum damnamus, et pro fallaci ignorantia habemus, ita ejus inspectio perito medico magnam utilitatem fænerat, siquidem hac ipsa non modo constitutionem ac naturam sanguinis et humorum, sed eorum circulum ac progressum cognoscimus. »

2.° Transpirationis cutaneæ depravationes depravationibus urinae non minùs numerosæ sunt, sive ad colorem, odorem, aliasque proprietates phisicas, sive ad compositionem spectant.

Odorem gravissimum in omnibus febribus putridis, urinosum in febre hujus nominis transpiratio cutanea effundit. Huxhamius

in febribus malignis sudores fuliginosos vidit. In phlegmasiis cutaneis acutis chronicis-ve, in rhumatismis tantas depravationes præbet transpiratio cutanea, ut quidam medici (Cl. Frank, Alibert), inter signa diagnostica horum morborum illas adnumeraverint. Sunt sudores, quos *ataxicus* vocat prof. Recamier, indole adeo malignâ ut citam mortem secum trahant. Ab alterationibus secretionis de quâ hic agimus plerique morbi aut originem ducunt aut exitum habent. Etenim, neminem medicum fugit transpirationis cutaneæ suppressionem frequentem nostrorum morborum causam esse; et contrâ, plurimos morbos critico sudore judicari.

5. Transpirationis pulmonaris depravationes et multæ et insignes esse debent, siquidem doctores Nysten et Magendie, per hanc viam eliminari substantias in venas perfusas comprobaverunt.

4. Bilis depravationes in morbis pluribus medicis observatæ fuerunt. Bilis exuberantia, *policholia*, sententiâ illustrissimi observatoris Stoll, febris biliosæ et fons et principium est. Pujol, doctor Gendrin, alii que haud pauci hanc opinionem assecuti sunt.

Bilis venenosis proprietatibus aliquando potiri videtur: quam sententiam nescio an ulla confirmare evidentius possit, quam hæc observatio Morgagnii. Juvenis, tertianâ febre maceratus, novissimè diris convulsionibus confectus fuerat. Intestina, ventriculusque multam continebant bilem æruginosam cujus tactu scalpellus violaceo colore inficiebatur. Eundem scalpellum eadem bile stillantem, in carnem unius et alterius columbi cum leviter impressissent, sic quidem ut bilis intra vulnus remaneret; haud multò post uterque tremens et convulsus periit. Quin etiam micâ panis, illa admista bile, a gallo devoratâ, hic quoque parem habuit exitum.

In cholera-morbo, bilis proprietates irritantes possidere videtur. Illius enim contactu sæpe inflammantur et membrana mucosa intestinalis et ipsa cutis ano proxima. Huc spectat observatio

prof. Orfila. Eger febri biliosa gravi, cum *ulceratione*, interfectus fuerat. Magnam quantitatem materiæ resinosa bilis continebat. Hæc materia evidenter depravata erat. Saporem enim peramarum habebat; si molecula labris admovebatur, continuo vesiculæ, immani dolore stipatæ, exoriebantur. Bilis tantâ acrimoniâ pol- lens ulcerationes intestinales generare indubitanter posset.

Qui multa cadavera secuerunt animadvertere potuerunt bilem modò atram, modò viridem, modò flavam, modò decolorem, modò tenuem, modò spissam, siruposam, piceam etc., esse. Sæpissimè in illâ calculi formantur.

5.° Lac quoque ipsum depravationibus etiam gravissimis im- mune non est. Mulier, post iræ violentissimum impetum, infanti mammas admovet : mox ille moritur haud aliter ac si pro lacte atrum venenum hausisset.

6.° Mucus varias depravationes offerre potest. In morbo mu- coso (feb. mucosa) redundare videtur. In phlegmasiis membra- narum mucosarum insignissimas præbet alterationes inter quas adnumerandæ sunt quæ in formatione pseudo- membranarum observantur.

Omnia de visciditate humorum scripta profecto pro veris acci- pienda non sunt, attamen nemo dubitare potest quin mucii visco- sitas nimia aliquando fiat. Ex hac depravatione, mucum bronchia- lem afficiente, sæpiùs oriuntur symptomata quæ secundùm prof. Laennec medicamentis incisivis solvuntur. Hæc symptomata quæ ipse observavi genus maximè notandum asthmatis constituunt, pendent quæ à nimia mucii bronchici tenacitate quæ emphyse- matis pulmonum causa facta est. In blennorrhagiâ syphiliticâ, pace medicorum physiologicorum dicam, mucus qualitates viru- lentas exhibet.

7.° Serositas depravationes varias ipsa patitur : quæ eveniunt in phlegmasiis serosis satis notæ sunt ut in illis immorari mihi necesse non sit. In ictericis serositas bilem continere videtur.

8.° Salivæ depravationes raræ non apparent. virulenta et con-

tagiosa fit in rabie. Abundantissima fluit in variolis. Odorem fetidissimum spargit apud illos quibus mercurius administratur. Odorem similem effundebat in mulieribus histericis quas observavit Sydenhamius (litt. ad. Rob. Cole). Professor Landré-Beauvais histericam vidit mulierem, quæ ex aliquotannis, fere quotidie, per accessus, plures salivæ libras expuebat. Sydenhamius nec non medici qui epidemiam urbis Breslaw descripserunt salivationes criticas, in febribus essentialibus observarunt.

Nihil hic addam de aliorum liquidorum secretorum depravationibus. Scopo quem attingere volui quæ jam enarrata sunt sufficientes mihi videntur.

Facta quæ in hac sectione relata sunt demonstrant depravationes liquidorum in morbis, pro meris hypothsesibus non esse habendas. Depravationes autem liquidorum compositioni inservientium inter et liquidorum secretorum, insignis hæc perstat discrepantia : scilicet, quod illæ principia morbifica corpori afferunt, hæc contra, crasium instrumenta, principia noxia in corpus vivens introducta eliminant.

Nec mirari debemus per varias vias secretorias principia morbifera evacuari, quoniam, in statu sano, materias quæ sine periculo torrentem circulatorium permeare non possent, crisi, ut ita dicam, physiologica, ipsæ emittunt. Ipsa tamen liquida secreta nociva fieri possunt, ubi, qualibet de causâ, in œconomiam regredi coguntur.

Ex his omnibus quæ proposita sunt, luce meridiana clarius fit, liquida corporis viventis obnoxia esse evidentibus depravationibus quæ sensibus aut chemicis experimentis deprehendi possunt. Attamen multum abest quin doctrina et, ut ita dicam, anatomia pathologica humorum perfectionem attigerit. Novas observationes indefessosque labores requirit hæc pars maxima medicinæ. Hoc genus observationis, hucusque rude et quasi incultum, multis difficultatibus impeditum, attamen non ideo relinquendum. Etenim lesionum liquidorum notitia non minoris quam solido-

rum pretii est, siquidem, in genere, cum medicis pristinae ætatis dicere possumus, cum non posse scire, quomodo morbos curare conveniat, qui, undè hi sint, ignoret. Maximo cum studio igitur dilucidandæ pathologiæ humorum incumbamus. Accedunt autem systematicorum æmuli, qui omnes has investigationes vanas et supervacuas proclamant, *risuque et ineptis cavillationibus* excipiunt. Verus medicus de talibus dictiteriis parùm curat, nec ideo minùs persequitur, *inter tædia et labores* investigationes quæ ad hominum salutem et vitam propiùs spectant.

Ut optimè verò humorum alterationes deprehendantur, simul et sensus et experimenta chemica adhibenda sunt. Sic, junctis viribus, hæc intellectus nostri pretiosa instrumenta, aliquandò forsàn pathologiam humorum provehent ad hanc optatissimam perfectionem quâ fulget pathologia organorum, ex quò anatomia pathologica nec non ars diagnostica tantos et tam felices habuere progressus.

Quidquid id est jam nunc, è præmissis, mihi demonstrata videtur hæc conclusio :

Dantur in morbis, evidentes liquidorum corporis viventis depravationes, et quæ sensibus aut chemicis experimentis deprehendi queunt.

QUÆSTIONIS PARS SECUNDA.

NUMQUID INTER DEPRAVATIONES LIQUIDORUM CORPORIS VIVENTIS ALIQUÆ PRO PRIMIGENIIS HABENDÆ ?

Plerosque morbos, materiâ quâdam morbificâ, in sanguine natâ vel intromissâ, gigni medici diù existimaverunt. Veteres, Galenusque inter primos, eosdem aliquandò fieri effectus agnoscebant, et à *lethalis veneni potione et a corruptione quæ à corpore*

ortum habeat (1). Sydenhamius eandem sententiam amplexus est. Morgagnius, à pravâ ipsâ humorum dispositione, internum aliquandò venenum generari fatetur. Perforationes spontaneæ ventriculi, remolitiones spontaneæ cordis, hepatis, splenis, quarum observationes memorandas excerpit P. Récamier, cachexiæ cancrôsæ, herpeticæ, etc., à primigeniâ liquidorum depravatione originem ducere mihi videntur (2).

In morbis à quibusdam venenis inductis, v. g. à strichninâ et acido hydro-cyanico, dubium non est quin liquida vim atrocem veneni, prima recipiant. Itaque in intoxicatione ab acido prussico sanguis gravem *amygdalis amaræ odorem spargit*. In omnibus febribus essentialibus à depravatione *primigeniâ* sanguinis symptomata principium ducere videntur. Quæ sententia nonnullis experimentis physiologicis planè consentanea est. Baglivius febrem pluribus animalibus *inoculavit*, injectis in venis illorum substantiis irritantibus, aromaticis, spirituosiss, per-acidis, etc. Doct. Gaspard, Magendie, Gendrin experimenta recentiora sententiæ nostræ argumenta probantissima suppeditant. Ex his auctoribus, si in animalium venas injeceris vel pus pravi aut boni moris, vel putridas materias et imprimis, secundum D. Magendie, *aquam piscium putridam*, mox animalia observabis affici variis symptomatibus maximam præbentibus analogiam cum febrium miasmaticarum symptomatibus. Sic apparent convulsiones, tetanici insultus, gravissima febris, vomitus et dejectiones materiæ atrarum, fætidissimarum aliquandò purulentarum, urina crassa, sedimentosa, malè olens et quasi putrida, petechiæ, etc.; mox prostata jacent animalia, medioque in statu adynamico dicto, serius ociusve morte corripuntur. Sectis cadaveribus, chemicæ

(1) *Vid.* Galen., de Locis affectis.

(2) Suprà jam diximus prof. Laennec, existimare sanguinis coagulationem fieri spontaneo modo.

sanguinis alterationis omnia signa observantur; hoc liquidum fluidum est, perque vasorum parietes transudavit in varia texta, præsertimque in ventriculum et intestina. Hæ variæ evacuationes verè criticæ aliquando fuerunt. Etenim his effectis, ad sanitatem plurima animalia redierunt. Sin autem nulla evacuatio facta sit, mors supervenit, et in cadaveribus, cranii, thoracis, abdominis phlegmasiæ; aliquando abscessus in telâ cellulosa, deprehenduntur. Haud ridiculè existimari potest has produci inflammationes à contactu sanguinis quem noxia infestavit materia, criticâ ab evacuatione non exterminata.

Verum autem inter illas, ut ita dicam, artificiales febres, variasque pestilenciales febres miasmatum absorptione evidentissimè generatas, maxima indubitataque exstat analogia. In his quoque, perniciosâ materiâ sanguis inficitur, et ab hac lesione primigeniâ, omnia phenomena, omnes inflammationes in organis deprehensæ, maximè pendent. In his quoque sæpius natura, omnibus viribus, elaborat ut miasmate detestato sanguinem liberet; indèque variæ crises. Etenim his in intoxicationibus massæ sanguinis, tota œconomia veneni expulsionem, et, si dicere possum, vomitum meditari videtur. Sic, his quoque in casibus gravissimis, vis medicatrix naturæ quæ, ut Sydenhamii verbis utar, noctes atque dies, nostris rebus invigilat, consulitque, vis medicatrix, inquam, omni ope atque operâ enitur, ut fiant crises quæ tantæ labis principium expulserint; sic demùm et febris, et crises naturæ summa molimina attestantur, sicut et vomitus, in inveniuatione propriè dictâ, ventriculi conatus, ad expulsionem veneni, prænuntiat.

Ex his quæ dicta sunt patet, in febribus miasmaticis, depravationes liquidorum pro primigeniis habendas. Sed hæ ipsæ pestes à febribus ataxicis vel adynamicis essentialibus eo solum discrepant quod intensioribus stipantur symptomatibus; in his igitur quoque febribus phaenomenorum causam, à sanguinis pri-

migeniâ depravatione pendere indicat analogia. Quod etiam val-
 dè demonstrat doctoris Gendrin præcitata observatio. Expertus
 etenim, sanguine hominis, putridâ febre laborantis, in animalis
 venas perfuso, similem genitam fuisse febrem. Multæ alioquin
 febres, putridæ, vel adynamicæ dictæ, pravis alimentis ingestis
 sæpè nascuntur. Illæ quoque variis à crisis exitum habent :
 quin imò, cum prof. Laennec dicere possumus, omnes inter
 morbos, febres essentielles, cum crisi, sæpius judicatas, in illis-
 que curandis aut nulla, aut ferè nulla esse artis auxilia. Has fe-
 bres gastro-enteritide produci quidam hodierni medici volunt.
 Experimenta præcedentia hanc phlegmasiam consecutivam esse,
 plerisque saltem in casibus, demonstrant. Aliundè, mera et sim-
 plex gastro-enteritis tot et adeò gravia symptomata gignere non
 valeret. Præterea, in febribus intermittentibus perniciosis, quo-
 modò symptomata, ex ista opinione, explicari possent? Etenim
 ex his unum aut alterum fieri necesse est : aut violentissima est
 gastro-enteritis ; tuncque symptomatum intermittentia intelligi
 non potest ; aut gastro-enteritis perlevis est ; at tunc, qui fit
 ut symptomata adeò gravia sint, ut ægrotantes primo, secundo
 aut tertio accessu sæviente, è medio tollantur? Huic dilemmati
 nullum responsum firmum et validum concipio. Sed curationem
 si consulere voluerimus quantum à veritate distet nova febrium
 doctrina evidentiùs etiam constabit.

Si dubitari non potest quin febres de quibus modò egimus,
 ab alteratione primigeniâ liquidorum et præcipuè sanguinis or-
 tum habeant, hæc opinio, à fortiori, circà febres exanthemati-
 cas, admittenda est. Etenim in variolis, morbillis et scarlatinâ,
 eruptionem quæ pro verâ crisi habenda est, febris antecedit. In
 hoc casu equidem à phlegmasiâ nondum natâ febris pendere non
 poterat. Hæc eruptio quam criticam dicimus nisi aptè fiat, gra-
 vissima apparent symptomata quorum causa ponenda est in per-
 turbatione quam virus variolicum, instar pestiferi veneni omni-

bus organis affert; quæ phenomena exasperato et miro modo evanescent, ut experiëntiâ comprobatum est, si, superveniente cutis exanthemate, virus per hanc viam expulsi possit (1).

Ex considerationibus et factis præcedentibus consequitur febres essentielles in affectu generali liquidorum et solidorum consistere; depravationes autem liquidorum pro primigeniis, solidorum contra læsiones pro secundariis habendas. Quapropter haud absurdè infert Ettmyllerus *partes fluidas aut contentas primarium morborum subjectum, et solidas seu continentes nonnisi secundarium constituere. Confiterique necesse est absolute consideratos humores suos pati manes morbosque. Quamvis si ad mutuam liquidorum et solidorum communionem respiciamus, non rarò hic fit observabilis circulus, dum ex confluxione, conspiratione unâ et sympathiâ omnium hippocratica unius partis vitium affricatur alteri, humores labem partibus solidis et solidæ vicissim istis communicant, et hinc nata læsio illud prius erratum plurimum adauget.* (Thes., t. 4, Path. génér.)

Hæc opinio, confitendum est, medicinam multò difficiliorem facit quàm doctrina physiologica. Sed quid agam? Unâ aut alterâ die, morborum scientia non discitur: ut clarissima sic etiam est difficillima omnium scientiarum humanarum. Quod optimè censuerat divus Hippocrates cum dixit: *ars longa, vita brevis*. Hanc sapientissimam sapientissimi viri sententiam hi soli repudiaverunt qui sistemata veritati prætulerunt, quorumque ardens ingenium, lento et quasi claudo pede procedentem observationem sequi noluit. Systemata autem delet dies, observationis judicia

(1) Huc rectè spectat præclara præclari Sydenhamii sententia: natura sibi permissa negotium suum, suo tempore exsequitur materiamque, debito ordine, secernit et expellit ut nostra ope, nostris artificibus atque auxiliis non indigeat; suis viribus optimè instructa, suis opibus locuples, suo denique ingenio satis edocta.

confirmat. Porro observationi planè consentaneam hanc existimo conclusionem :

Inter depravationes liquidorum corporis viventis aliquæ pro primigeniis habendæ.

FINIS.